



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Articulus III. De Obligationibus Confessarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

reservatis remittere pœnitentem ad inferio-
rem de omnibus ab eo absolvendum, & taxa-
re si velit pro iis pœnitentiam, & præscribere
remedia adhibenda: quo casu non absolvit
proprie, sed tollit reservationem. Valeret
tamen talis absolutio à solis reservatis, si pœ-
nitens sit rectè dispositus & in bona fide: quia
tunc adsunt materia & forma Sacramenti, &
aliunde defectus integritatis Confessionis non
est culpabilis ex parte pœnitentis, ut suppono:
Ergo tunc nihil deest ad veritatem & effectum
Sacramenti.

ARTICULUS III.

De Obligationibus Confessarii.

EJUS dotes comprehenduntur his versi-
bus.

*Sit probus, & fortis Confessor, sitque peritus,
discretus, patiens, mitis, pius, atque fidelis.*

De quibus consule libros de Officiis Con-
fessarii, & præsertim S. Carolum de instruct.
Confessarii, Loart. Fornarium, Garna-
rium, &c.

Q. I. Quenam scientia requiritur in Confessario?

Not. Agitur hic de scientia requisita ex par-
te Confessarii ad licitam absolutionem. Ad
validam autem requiritur secundum omnes,
teste Suarez, ut sciat absolutionem proferre,

Dd 5

& co.

& cognoscere regulariter moralem actum, saltem sub communi ratione peccati mortalis aut venialis, secundum generalem eorum rationem ac distinctionem: quia sine tali scientia homo non potest humano modo exercere hoc iudicium. Sed addit Suarez ignorantiam horum rarissimam esse, & ferè impossibilem in eo qui ratione utitur, & in Ecclesia versatur, vultque Confessiones audire.

Resp. I. Generatim, cum triplex sit Confessoris munus, Judicis, Medici, & Doctoris animarum, tenetur sub mortali scire ea, quæ ad hæc munera rectè obeunda requiruntur: nam qui tenetur graviter ad finem, tenetur etiam graviter ad media necessaria: Confessor autem tenetur graviter munus suum utpotè gravissimum, & in quo agitur de offensâ Dei vindicandâ, de reconciliandis Deo peccatoribus, de justificatione ac salute hominum procuranda, de curandis animæ morbis, & vitiis emendandis, rectè exequi. Ergo tenetur etiam sub gravi scientiam ad id necessariam habere. *Imprimis* (inquit Rituale Roman.) *meminerit Confessarius se Judicis, pariter & Medici personam sustinere, ac divinæ justitiæ simul & misericordiæ Ministrum à Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum & homines, honori divino, & animarum saluti consulat.*

Quare, juxta omnes, mortaliter peccat, qui sine debita scientia munus audiendi Confessiones, etiam ex sola charitate vel obedientiâ susci-

suscipit. Nam jure divino naturali quisque tenetur habere scientiam muneris; quod suscipit exercendum præsertim erga alios.

Deinde talis se exponit periculo evidenti malè fungendi tanto munere, cum injuria Sacramenti, & damno proximi ac detrimento animarum. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* I. Cor. 14. Neque enim obedientia, aut Episcopi approbatio etsi bona fide per examen facta, excusat; quia non dat scientiam ex naturâ rei debitam, nec supplet ejus defectum. Neque ignorantia eum excusare potest: quia nemo debet suscipere & exercere Officium, cujus nequit omnia munia rectè obire: aliàs se exponit periculo errandi, & malè obeundi cum damno aliorum. *Vae vobis duces cæci* Matth. 23. *Nulla ars doceri præsumitur, nisi intentâ prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo Magisterium Pastorale suscipitur in magnâ temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum* ait S. Greg. Pastor. cur. p. 1. c. 1.

Hinc etiam qui ignarum Confessarium scienter eligit, peccat mortaliter, cum coope- retur ejus peccato & malæ administrationi Sacramenti; ideòque ejus Confessio est invalida. *Cæcus si cæco ducatum præset, ambo in foveam cadunt,* Matth. 5.

Resp. II. Confessor, ut apud omnes & ex dictis constat, tenetur scire. I. Ea omnia, quæ ad valorem, substantiam, integritatem, & effectum hujus Sacramenti, ejusque licitam ad-

administrationem tam ex parte sui, quam ex parte poenitentis requiruntur. 2. Præcepta Dei & Ecclesiæ, obligationes communes & proprias statuum, varias peccatorum species, multiplicationem numericam, circumstantias quæ mutant speciem, vel notabiliter aggravant, & principia discernendi inter mortalia & venialia; imo quænam sunt peccata mortalia & venialia in singulis præceptis, saltem communi & ordinario modo. Item quinam sunt actus invalidi, & solum illiciti: oportet enim ut sciat cognoscere quidquid debet judicare: judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare, discernat, c. 1. dist. 6. de poenit. Alioqui non posset esse debita iudicii æquitas. 3. Casus reservatos, Censuras & excommunicationes, quæ vigent, impedimenta Matrimonii, conditiones contractuum, causas restitutionis, radices & occasiones peccatorum, remedia peccatis vitandis & vitiis emendandis apta, & satisfactiones salutares ac convenientes. 4. Nulli Sacerdotum liceat Canones ignorare, ne quicquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. ait Cælesti Papa c. nulli dist. 38. Non tamen tenetur tam perfectam istorum omnium notitiam habere, ut possit semper ex tempore & per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit ut id possit in communiter accidentibus, & sciat communia, & de difficilioribus sciat saltem dubitare; intelligatque principia decisionum generalia, & legendo,

do, aut peritiores consulendo investigare possit quid facto opus sit. Neque etiam tenetur de singulis peccatis, quæ declarantur, positivè judicare esse mortalia vel non; hoc enim in multis difficile est, & controversum: sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, & de illis judicet secundum principia communia certa, & remedium idoneum apponat, ne iterentur peccata, quæ dubitat esse mortalia. Uno verbo Confessor debet habere scientiam Theologiæ Moralis, saltem mediocrem & competentem.

Porro major scientia requiritur pro uno loco, quam pro alio, pro urbe mercatoriâ, aulicâ, &c. quàm pro pago; major pro audientibus viris, iudicibus, hominibus forensibus, aliisque habentibus casus magis implicatos, quàm pro feminis, pueris, &c. Hinc Confessarii, qui quoslibet pœnitentes audire sunt parati, majore quàm alii scientiâ pollere debent.

Ex dictis rectè colligit Filliucius peccare mortaliter non solum Confessarium qui prædicta scientia caret, sed etiam Superiorem qui ei tribuit facultatem Confessiones audiendi, atque etiam ipsum Pœnitentem qui scienter eligit Confessorem ignorantem respectu ipsius; cum consentiant & cooperentur peccato Confessarii: ideoque talem Pœnitentem, esse indispositum & temerè Confessiones iterare. Confessio tamen bonâ fide facta Sacerdoti ignaro, est valida: quia

quia ex parte Pœnitentis intervenit integrâ Confessio & debita dispositio, & ex parte Sacerdotis intervenit aliqua cognitio & perceptio illius, quæ licet non sit accurata, tamen sufficit, ut cognoscat illam esse sufficientem materiam hujus Sacramenti. Ita Suarez.

Q. 2. *An & quomodo tenetur Confessor Pœnitentem examinare?*

Resp. Tenetur examinare de specie, numero, circumstantiis peccatorum, eorumque causis, habitu & occasionibus proximis, quoties rationabiliter præsumit ista non sufficienter declarari, vel de hoc dubitat. Idem debet interrogare an sciat res fidei, Præcepta Dei & Ecclesiæ, & statûs sui obligationes, quoties dubitat an Pœnitens ista calleat; demum scrutari dispositiones, & conscientiam pœnitentis; *quasi medicus vulnus & judex causam*, ait S. Th. in 4. dist. 19. Prob. 1. Ex Conc. Lat. Gêner. c. *Omnis: sit Sacerdos discretus & cautus, diligenter inquirens peccatoris circumstantias & peccati.* 2. Ut Minister Sacramenti tenetur curare, ut integritas materiæ Sacramenti à Christo requisita ponatur, quantum moraliter potest; & ut Judex ac Medicus tenetur sibi comparare cognitionem necessariam ad ferendum rectum ac integrum judicium de peccatis & statu Pœnitentis, ad illum cum Deo reconciliandum, ad imponendam satisfactionem peccatis & ejus facultati congruentem, & ad præ-

scri-

scribenda remedia curationi ac emendationi poenitentis apta. Et verò Judex non potest licitè proferre sententiam, nisi priùs plenè cognoscat totum statum causæ, & personæ quam debet absolvere. Hæc autem inquisitio debet esse discreta & moderata, ne sit vana, curiosa, periculosa, reddatque Sacramentum nimis grave & odiosum, pro quo

Observ. 1. Non omnes eodem modo interrogandi sunt, sed modo cuique accommodato. Sic cæteris paribus magis examinandi sunt minùs periti, quàm periti ac timorati; item qui rarò confitentur, quàm qui frequentius.

2. Sæpè necesse est interrogare Pœnitentes de statu, officio, tempore ultimæ Confessionis, de omissione obligationum iis propriarum, de consuetudine, occasione, & causis ac motivis peccatorum, de impletione Pœnitentiæ injunctæ. Non sunt autem interrogandi, nisi de peccatis quæ potuerunt verisimiliter ab illis committi: idè priùs intelligat Confessor ætatem, sexum, conditionem, statum, munus Pœnitentis, & prudenter ac moderatè eum interroget de peccatis, quæ à personis talis ætatis, sexûs, conditionis, statûs, professionis admitti solent: de nomine non percontetur, nec inutilia quærat unquam, nec sibi narrari patiatur.

3. Debet curare ut Pœnitens in Confessione generali exprimat quamam mortalia necdum
Con-

Confessus sit, nam aliàs nec posset discernere materiam necessariam ab alia, nec imponere, ut tenetur, Satisfactionem proportionatam ac debitam pro illis, pro quibus nondum imposita est; sed daret justò leviozem, falsò putans jam pro illis debitam injunctam fuisse.

4. Cautio magna adhiberi debet in inquisitione de peccatis luxuriæ, ne scandalizetur Pœnitens, & mala quæ ignorat, doceatur cum periculo ea deindè patrandi. Quare quærendum est generaliter num menti irrepsit turpis aliqua cogitatio, num opere vel voluntate aliquid contra castitatem admiserit, num circa aliquid conscientia ipsum exstimulet; si affirmet, ulterius interrogetur, à generalibus gradatim descendendo ad particularia: secus, si neget.

5. Confessor confitentem non objurget, nisi finitâ Confessione; neque interpellet, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere. Ita Rituale Roman. addens: *Auditâ Confessione, perpendens peccatorum magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac Pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paternâ charitate adhibebit, & ad dolorem & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. Postremò salutarem & convenientem Satisfactionem, quantum spiritus & prudentia suggesserit, injungat, habita ratione*

ratione statûs, conditionis, sexûs, & ætatis, & item dispositionis Pœnitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus levissimas Pœnitentias imponat, &c.

Quare Confessor debet habere in promptu varia motiva ex Scripturâ præsertim & Patribus deprompta ad excitandum in Pœnitentibus peccatorum dolorem ac odium, efficax vitæ christianæ propositum, & amorem Dei, secundum varias Pœnitentium dispositiones, propositâ peccati foeditate, gravitate pœnarum æternarum, & præsertim Dei bonitate, magnitudine, ac amabilitate infinitâ, &c. & Pœnitentes ad perfectam Contritionem eliciendam verbis efficacibus adducat.

Sed an Pœnitens Confessario interroganti tenetur aperire pravam consuetudinem, malos habitus, cupiditates, tentationes, occasiones peccati, dispositiones, obligationes proprias, statum, conditionem, munus?

Resp. Aff. Ita commun. quia Confessor, cum sit Judex & Medicus, habet Jus cognoscendi, & inquirendi ea omnia, quorum notitia necessaria est ad rectè judicandum de peccatis, statu, morbis, necessitate, ac dispositione Pœnitentis, & ad præscribenda remedia ejus emendationi ac curationi apta: qualis est prædictorum & similium notitia. Ac proinde pœnitens tenerur ad ista sincerè & clarè respondere; nullum enim esset Jus in Con-

fessario interrogandi, si non esset in pœnitente obligatio ad interrogata respondendi. Et verò Confessor est iudex proferens sententiam non solum circa illa peccata quæ audit, sed etiam circa personam, quam dum Sacramentaliter absolvit, iudicat illam debere reconciliari cum Deo, & quantum ex se est, reconciliat: ad hoc autem oportet ut cognoscat plentotum statum conscientiæ Pœnitentis, ad videndum an sit aliquid quod obstet ejusmodi reconciliationi. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Q. 3. *An Confessor tenetur admonere Pœnitentem de ejus erroribus, & eum docere?*

Resp. I. Si error seu ignorantia sit vincibilis & culpabilis, tenetur Confessor eum docere id quod culpabiliter ignorat: quia cum talis ignorantia perseverat, Pœnitens est indispositus; cum ipsa sit peccatum & causa peccati. Confessor autem ut Doctor tenetur erudire Pœnitentem, & ut Medicus tollere causam & occasionem peccandi, veritatem docendo. Idque etiam si tunc non speretur fructus; quia ea admonitio proderit, ut Pœnitens edoctus cognoscat malum statum, in quo est, & forte aliquando resipiscet, & exstimulabit conscientia. Item tenetur corrigere errorem, qui est Pœnitenti perniciosus, & causa peccandi, puta si putet esse illicitum, quod ei reipsa licitum est.

Resp.

Resp. II. Si error vel ignorantia sit inculpabilis ac invincibilis, docendus est Pœnitens. 1. Si ex eo sequatur aliquod grave malum vel scandalum publicum, etiamsi inde timeatur malum Pœnitentis; nam malum privatum permitti debet, ut vitetur publicum. 2. Si error vergat in damnum injustum proximi. Quòd si Pœnitens restituere, aut abstinere à contractu aut opere injusto nolit; non debet absolvi: qui est indispositus, cum nolit obligationem sibi notam exequi, vel nolit intelligere ut bene agat. 3. Si pœnitens dubitet de suo errore, vel interroget Confessarium; nam tunc taciturnitas esset tacita erroris approbatio, & confirmaret Pœnitentem in errore. 4. Si ex errore sequatur malum occultum inculpate ignoratum, ut si putat Matrimonium suum esse validum, & tale publicè habeatur, quod tamen invalidum est ob impedimentum occultum notum ipsi Confessario; modò monitio profutura videatur, nec ex ea scandalum timeatur: quia Confessor est Dei Minister, & Judex, Doctor, ac Medicus Pœnitentis: ergo tenetur curare ut leges serventur, instruere pœnitentem, & impedire peccatum etiam materiale, dum nullum majus malum timeatur: nam error per se quoddam malum est, & plerumque alia mala invehit. Si tamen probabile periculum sit, ne ex admonitione sequatur peccatum formale Pœnitentis, vel grave scandalum, & damnum innocenti;

centibus, puta liberis; differenda est monitio, donec hoc periculum sit sublatum, & petenda dispensatio, ex c. 6. de consang. & affinit. ubi Innocent. III. consultus de Matrimonio invalido contracto. Respondet: *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, grave videas scandalum imminere.* Nam cum DEI offensio per ignorantiam invincibilem vitetur, illud materiale malum rectè permittitur ad impedienda graviora mala.

Q. 4. An Confessor potest se conformare sententiæ Pœnitentis minùs probabili, & minùs tutæ, contra propriam probabiliorem & tutiorem?

Resp. Neg. Quia Confessor in Tribunali Pœnitentiæ est Superior, Doctor, & Judex; Pœnitens verò inferior & reus: ac proinde Confessor debet judicare secundùm propriam sententiam prudentem, & conscientiam; non ad arbitrium rei, quem tunc docere debet. Præterea non licet sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam: quare Pœnitens volens eam in praxi sequi est indispositus. Potest tamen absolvi Pœnitens eruditus volens sequi opinionem suam, quam bonâ fide post diligentem veritatis inquisitionem putat esse multò probabiliorem, si Confessor sciat multis aliis talem videri, nec sit evidens esse minùs probabilem: quia Pœnitenti licet agere le-

re secundum conscientiam prudenter formatam: ideoque tunc censetur bene dispositus.

Q. 5. *An & quibus Confessor tenetur denegare, vel differre absolutionem?*

Resp. Tenetur denegare iis omnibus, quos cognoscit carere Contritione ac dispositione debita: alioqui grave sacrilegium admitteret; nam ex communi sent. faceret Sacramentum nullum, dando absolutionem invalidam & inutilem defectu materiæ debitæ. Et secundum Scotistas Sacramentum inutile, utpote destitutum effectu suo, ob defectum dispositionis necessariò requisitæ ad illum. Quare Rituale Roman. ait: *Videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant, &c.* Igitur secundum hoc principium certum & Doctrinam Patrum, Canonum, & S. Caroli in Instruct. Confessor. absolutio negari debet.

1. iis qui nolunt rem alienam restituere, debita solvere, vel honorem aut famam læsam, aut quodlibet aliud damnum illatum resarcire,

cum possunt, aut dare operam ut facultatem ista præstandi, si non habeant, comparent.

2. Qui non curant tollere habitum peccandi, ut si non adhibeant remedia necessaria à Confessario aliàs præscripta, vel aliunde cognita: nam carent proposito efficaci emendationis, quòd exigit destructionem causarum peccati: nulla autem propior est habitu.

3. Qui uti renuunt remediis, quæ à Confessario judicantur necessaria ad emendationem, vel impositas pœnas meritas, & eorum facultati accommodatas persolvere nolunt.

4. Qui retinent voluntatem duellum datâ occasione offerendi vel acceptandi, aut aliud peccatum mortale admittendi.

5. Qui inimicitias & odia deponere, injuriam acceptam condonare, vel reconciliari nolunt, offensorem sincerè propter Deum non amant, nec parati sunt pro illo orare, ei benevolentix signa communia exhibere, & in necessitate subvenire. *Falsa sit pœnitentia: si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendentem offensus non indulgeat.* ait Conc. Gener. Later. 2. can. 22.

6. Qui nolunt corrigere luxum & sumptus superfluos in cibo, potu, vestitu, ornatu, conviviiis, famulatu, &c. qui ad mortale pertinent; ut si propter illos contrahantur debita, quæ solvi nequeant, si stipendia famulorum aut operariorum, vel alia debita non solvan-

tur

tur, si eleemosynæ debitæ omittantur, &c. vel si inde scandalum oriatur.

7. Qui occasionem proximam peccandi deserere nolunt: unde Innoc. XI. damnavit hanc propos. *potest aliquando absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quin imò directè & ex proposito querit, aut ei se ingerit.* Hinc S. Carolus in Instruct. cit. monet non esse absolvendos eos qui vitam in otio agunt, vel malorum consortium aut cauponam frequentant, vel choreas (*vulgo Bals.*) adeunt, nisi habeant firmum propositum ab his deinceps abstinendi. Idem dicit de Comœdiis amatoriiis, & aliis spectaculis periculosis.

8. Iis qui occasionem peccandi aliis præbent, nisi efficaciter desistere statuerint, quales sunt qui componunt, imprimunt, dant, vel vendunt libros amatorios, vel contra fidem, aut bonos mores; qui domum aleatoribus præbent, qui Comœdias periculosas exhibent; item fæminæ, quæ pectus nudum gestant, nec excusantur ob consuetudinem; nam (ut ait S. Antonin.) *Valde turpis & impudicus est talis usus; & idè non servandus: non sequeris turbam ad faciendum malum.* Exod. 23. &c.

9. Qui nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, artibus, commerciis aut contractibus illicitis, aut à quovis alio opere malo. Ratio horum omnium est: quia ejusmodi homi-

nes carent proposito efficaci servandi omnia mandata, & vitandi peccatum mortale, ejusque occasiones proximas; ideoque Contritione.

10. Qui ignorant res necessarias ad salutem necessitate medii, ut Myſteria SS. Trinitatis & Incarnationis, beatitudinem æternam justis perseverantibus rependendam, pœnas æternas peccatoribus paratas: nam sine horum fide explicita nemo adultus justificari potest. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laborat ignorantia Myſteriorum Fidei; etiamſi per ignorantiam culpabilem nesciat Myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Hinc nequeunt validè absolvi, nisi priùs ista didicerint. Idem dic de Actu Contritionis, cum sit de necessitate Sacramenti.

Qui autem ignorant ea, quæ sunt solùm necessaria necessitate præcepti, ut aliqua alia fidei dogmata, vel mandata aliqua Dei aut Ecclesiæ, vel obligationes sui status ac conditionis proprias, debent hæc doceri ante absolutionem, si pauca horum ignorent, quæ brevi tempore discere queant: sin minùs, differenda est absolutio, donec ea omnia didicerint, si jam moniti neglexerunt discere; quia sunt in habitu negligentæ culpabilis, cum teneantur graviter ista scire, & tamdiu actu peccant, quamdiu ea non ediscunt, cum possunt. Nec Confessor potest prudenter credere eos hanc obli-

obligationem postea impleturos, eò quòd id promittant, cum jam fidem datam fefellerint. Quò si nondum fuerint moniti, poterunt, si nihil aliud impediatur, absolvi, præmissâ instructione de his saltem rebus quæ sunt de necessitate mediæ & Sacramenti, & impositâ obligatione alias quàm primum ediscendi. Ita S. Carol. in Instruct. Confessor. addens neque absolvi debere Patres & Matres-familias, qui liberos suos aut domesticos horum notiâ imbuere per se vel per alios non curant; vel non invigilant, ut iidem Dei & Ecclesiæ præcepta observent, aut (quod pejus est) eorum observationem impediunt; vel retinent domesticos qui sunt aliis scandalo, nec se emendant. Si tamen spondeant ista se præstituros, & nondum de iis moniti fuerint, poterunt absolvi: secùs, si jam moniti omiserunt, donec emendationem operibus probaverint.

Resp. II. Extra articulum mortis, Confessor tenetur generatim differre absolutionem iis, quorum dubia ei apparet Contritio ac dispositio debita, & quos non potest prudenter judicare habere debitum dolorem ac propositum efficacem ac universale non peccandi, donec adsint sufficientia conversionis veræ ac Contritionis debitæ signa: nam alioqui sine necessitate & temerè exponeret Sacramentum periculo nullitatis, & privationis effectûs, applicando formam materiæ dubiæ nec moraliter certæ, & subjecto dubiè disposito; & sic com-

Ee 5

mitte-

mitteret grave sacrilegium; nam vera Con-
 tritio excommuni, est materia proxima & per
 se essentialis Sacramenti, & ex Scotistis est sal-
 tem dispositio necessaria ad ejus effectum.
 Confessor (inquit Suarez disp. 32. sect. 2. tenetur
 justitiam & religionem in ejus administratione
 servare; quia & judicium & actionem sacram
 exercet. Cui muneris ut satisfaciat, unum ex pra-
 cipuis est, ut dispositionem conscientiae Pœnitentis
 sufficienter agnoscat. Est enim præcipuum hujus
 materia fundamentum, non posse Confessorem lici-
 tē pœnitentem absolvere, nisi ille sit bene dispositus
 ad absolutionem suscipiendam. Primo, quia non
 potest ipse absolvere, nisi quem Christus etiam ab-
 solvit; gerit enim vices Christi, & quæ ipse solvit
 in Terris, debent soluta manere & in Cœlis: aliàs
 clavis errabit, & Minister illā abutetur, & pecca-
 bit. Secundò, quia tenentur Ministri Sacramento-
 rum non dare illa indignis. Tertiò, quia est ju-
 dex, & tenetur justum judicium facere. Ex quo
 fit, priusquam absolvat, necesse esse, ut prudenter
 judicet Pœnitentem esse dispositum; quia aliàs se
 exponeret periculo errandi, & sine sufficienti co-
 gnitione operatur. Præterea Confessor debet
 esse dispensator fidelis ac prudens applicatio-
 nis meritorum Christi, & Sacramentum gra-
 tiæ collativum prudenter ac sanctè admini-
 strare. Ergo, citra necessitatem seu articulum
 mortis, non ei licet administrare hoc Sacra-
 mentum cum materia vel dispositione, quæ
 prudenter judicari nequeat vera, ac sufficiens
 ad

ad valorem & effectum Sacramenti. Contritio autem dubia, aut quæ non est probabilius vera quàm falsa, non potest prudenter judicari vera ac sufficiens. Et quamvis pœnitenti credi debeat in iis, de quibus se accusat; cum Confessor nequeat ejus peccata nisi ex ipso cognoscere; non sufficit tamen testimonium Pœnitentis asserentis se esse contritum, dum aliunde adest ratio dubitandi de veritate ejus Contritionis, & debitæ dispositionis; nam ipse & seipsum & Confessarium decipere potest, ut notat S. Gregor. Pastor. curæ. I. p. c. 9. ibi: *Sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* & in I. l. Reg. c. 6. ait: *In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor bona, voluntas bona: Confessionis ergò verba, quid sunt aliud nisi folia?* Quare S. Carol. in Instruct. Confessor. quas Clerus Gallicanus præcepit, ut ab omnibus Sacerdotibus accuratè servarentur, ait: *Absolutio, donec emendatio perspiciatur, differri debet his, qui licet se peccatum dimissuros polliceantur, ab illo tamen non separandos Confessor probabiliter judicabit.*

Resp. III. Extra periculum mortis, juxta principia tradita, & Doctrinam S. Caroli in Instruct. Confessor. tenetur Confessor speciatim differre absolutionem, præsertim.

I. Implicatis consuetudine peccandi mortaliter, qui nondum efficaciter conati sunt eam emen-

emendare, licet emendationem promittant; donec vitiosum habitum sic vicerint, ut periculum proximum seu probabile peccandi sublatum sit. Tum quia vera conversio consuetudinarii est valde rara ac perdifficilis, nec brevi tempore fieri solet, ut constat ex Patribus & experientiâ: ergo prius operibus probari debet, ut possit prudenter credi. Tum quia prava consuetudo est occasio proxima peccandi, & eò peior quòd interna est. Tum quia dilatio absolutionis est medium moraliter necessarium ad pravi habitûs emendationem, cum experientia constet eum sine dilatione illa communiter non emendari: Confessor autem, ut medicus spiritualis tenetur adhibere remedia ad pœnitentis emendationem apta & moraliter necessaria. Tum quia gratia Sacramentalis exponeretur morali periculo proxima destructionis, cum graviori damno pœnitentis; nam dum durat malus habitus, homo est in periculo proximo statim & saepe peccandi, cum habitus ille propensionem maximam, & necessitatem moralem peccandi pariat. Confessor autem ut Minister Sacramenti, circa necessitatem non debet conferre gratiam, quam prudenter iudicat brevi amittendam, nisi eam differat, & ut Medicus debet curare ut sanitas, quam confert, non tam citò amittatur, sed sit moraliter saltem stabilis: imprudenter enim ageret medicus, qui statim daret remedium, quod prudenter iudicaret

caret allaturum sanitatem, brevi cum maiore damno amittendam si statim detur, cum moraliter stabilem afferre, & morbum curare possit, si differatur. *Quod facile sanatur, non multum cavetur: ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis.* ait S. August. in Psal. 6. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nullæ appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

2. Recidivis, seu iis qui post plures Confessiones pluries relapsi sunt in eadem peccata: tum quia qui pluries fidem datam fefellerunt, non possunt nisi ex operibus prudenter iudicari habere verum & efficax propositum: tum quia recidivorum pœnitentiæ semper à Patribus existimatæ sunt saltem valde suspectæ & dubiæ. Quare S. Isidor. in c. 11. de pœnit. dist. 3. ait: *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.* At (ut docet De Lugo disp. 14. sect. 10.) certum est, quando dilatio necessaria est ad explorandum firmum propositum pœnitentis, de quo non satis constat, debere differri absolutioem. Præterea recidivi sine absolutioem dilatione emendari non solent: ideoque dilatio est remedium ipsis moraliter necessarium. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi,* ait Bellarm. ser. 8. de adventu. Rituale Tullense excipit eos, qui

qui relapsi sunt rarò, & solùm ex vi tentationis, vel occasionis urgentis non quæsita nec prævisæ.

3. Iis, qui aliena retinent, vel injuriam in fama, honore, vel aliis bonis intulêre, donec satisfecerint si possunt, quamvis promittant se statim satisfacturos, si jam semel admoniti id omiserunt. Ita S. Carolus in Instruct. Confessor. & Conc. Mediol. 1. Item iis, qui commercia illicita, vel artes prohibitas, aut occasionem peccandi voluntariam non dimisere donec deseruerint: & generatim iis qui obligationem aliquam gravem & urgentem non impleverunt ex negligentia, donec impleverint, si jam semel aut bis moniti fuerint, vel id promiserint: quia propositum quod nunc faciunt, non potest prudenter judicari magis efficax esse quàm prius factum. Et aliàs relinquerentur in probabili periculo peccandi ut antea, cujus probabilitatem facit fidei prius data violatio, & difficultas ista præstandi. Imò si res restituenda gravissimi sit momenti, non debet ordinariè absolvi pœnitens donec restituerit, si potest, quamvis antea monitus non fuerit: nam alioqui relinqueretur in gravi periculo non restituendi ob difficultatem talis restitutionis, & propensionem magnam differendi.

4. Qui inveteratas inimicitias exercent cum proximo, donec se ei reconciliaverint; vel etiam si inveteratæ non sint, contra fidem datam

tam nondum redierunt cum eo in gratiam, nec publica dederunt signa reconciliationis, ad tollendum publicæ inimicitæ scandalum; vel qui primi proximum offenderunt, & nolunt primi eum adire, & ei satisfacere, ut tenentur.

5. Qui publicum scandalum dederunt, donec illud sustulerint, ut docet Rituale Roman. quare is cuius peccata publica fuerunt, non est absolvendus antequam publicè appareat emendatus: alias absolutio esset scandalosa.

6. Adolescentibus qui vitam otiosam agunt, vel studia notabiliter negligere solent, donec emendati appareant. Idem dic de omnibus qui munus suum graviter negligere consueverunt.

7. Qui in examinanda conscientia graviter negligentes fuerint, donec meliùs examinarint, & se ad Contritionem meliùs excitarint. S. Carolus; nam talis negligentia indicat defectum debitæ Contritionis, ad quam obtinendam indigent tempore aliquo, precibus, & aliis mediis. Si tamen diligentiam bonâ fide adhibuerint, sed non sufficientem, charitas postulat ut Confessor interrogando hunc defectum suppleat, & Pœnitentem adjuvet ac disponat ad veram Contritionem, præsertim si sint rustici & rudes, qui imprimis adjuvandi sunt; nam de iis præsumitur, licet millies se examinent, non fore magis paratos, quàm si ab ipso Confessario, breviter examinentur.

8. Ver-

8. Versantibus in peccati occasione proxima ut infra-dicam.

Not. 1. Pœnitens non debet ordinariè remitti ultra 15. dies: nam æger non debet à Medico diu derelinqui, sed sæpiùs adjuvari; & aliàs periculum esset, ne Pœnitens animo cadat, ac desperet. Quòd si post tale tempus nondum sufficienter dispositus inveniatur, adhuc remittetur cum solatio, hortatione, & suggestione mediòrum magis efficacium, donec talis judicetur.

Not. 2. Consuetudinariis & recidivis præscribenda sunt remedia suæ emendationi apta; qualia sunt oratio quotidiana matutina ac serotina, & crebra opera misericordiæ, auditio Missæ, opera virtutum vitiis ac propensionibus pravis contrariarum, sui demissio ac diffidentia, fiducia in Deum, frequens Confessio apud eundem Confessarium pium & prudentem, meditatio motivorum vitandi peccatum, lectio piorum librorum, celeris repulsio prævæ cogitationis aut motionis; aliqua punitio quoties tale peccatum committitur, ut jejuni-um, largitio elemosynæ, aliqua oratio, &c. Examen conscientiæ quotidianum, & præsertim particulare hoc modo. Mane eliciatur propositum vitandi tale peccatum, & Deo offeratur cum petitione gratiæ; quoties commissum fuerit illud peccatum, statim eliciatur Contritio cum aliqua punitio; & saltem serò examinetur conscientia de illo: quod

quod si fuerit commissum, eliciatur Contritio, fiatque aliqua satisfactio: sin minus, Deo gratia agantur.

Q. 6. Quomodo Confessor se gerere debet erga eos qui versantur in occasione proxima peccati?

Not. 1. Occasio peccati est id omne, quod ad peccatum alicui, sive ex natura sua, sive ex parte Poenitentis fragilis. Dividitur in proximam & remotam. Proxima est ea quæ affert morale seu probabile periculum peccandi: sive est ea in qua quis verisimiliter est peccaturus. Remota, quæ non affert tale periculum. Remotam non tenemur fugere, alioqui deberemus omnes de mundo exire, ex I. Cor. 5. *Quoniam creature Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14.

Not. 2. Occasio proxima peccati duplex est, nempe per se, & per accidens. Occasio proxima per se est ea, quæ per se sic est apta inducere homines in peccatum mortale, ut spectatâ communi hominum fragilitate ac corruptione multi in ea verisimiliter peccaturi sint; ut quia in ea multi sæpè peccant, cuiusmodi sunt cum ea persona habitare, cum quâ soleas peccare, familiaritas inter adolescentes & puellas, aspectus minus pudici, &c. Occasio proxima per accidens, est quæ non habet vim inducendi communiter homines in

peccatum, sed tantum aliquos ratione specialis illorum fragilitatis & dispositionis, ita ut prudenter timeatur ne in ea peccent.

Not. 3. Utraque occasio proxima peccati subdividitur in voluntariam, & involuntariam. Voluntaria est ea, quæ deserere potest etiam sine gravissimo incommodo. Involuntaria seu necessaria, est ea quæ vel physicè vel moraliter deserere non potest. Et sic alia est involuntaria seu necessaria physicè, quæ nullo modo pendet à voluntate, ut deseratur; ut si quis in carcere aut triremi vinculus sit cum flagitioso: & alia involuntaria seu necessaria moraliter, quæ deserere nequit sine peccato, vel damno temporali gravissimo; ut militia respectu militis in ea frequenter peccantis, cui abeundi facultas recusatur; non enim potest deserere militiam invito duce, cui ex iustitia obstrictus est: vel munus seu officium, quod quidem sine peccato dimitti potest, sed non sine damno gravissimo, v. g. jacturâ sui status, vel bonorum, vel famæ.

Resp. I. Confessor non potest licitè nec validè absolvere Pœnitentem, qui non vult statim removere & fugere occasionem proximam etiam per accidens, si possit licitè & sine gravi suo damno. Ita omnes cum S. Carolo. quia talis caret proposito efficaci non amplius peccandi, & servandi mandata omnia: nam hoc propositum includit voluntatem destruendi & fugiendi causas ac pericula peccati.

Imò

Imò talis actu peccat mortaliter; nam secundum omnes quisque tenetur sub mortali removere & vitare occasionem proximam seu probabile periculum peccandi mortaliter cum potest. Quia 1. *Eccli. 3. qui amat periculum, in illo peribit.* Sed qui non remouet, nec fugit probabile periculum peccandi cum potest, illud amat seu eligit. 2. Qui non remouet nec fugit probabile periculum peccandi, cum potest moraliter, is vult saltem virtualiter, implicite & interpretative ipsum peccatum. 3. Præceptum prohibens peccatum, simul vetat velle id, quod proximè ac mortaliter conjunctum est cum peccato, & id ex quo verisimiliter iudicatur secuturum peccatum; nam præceptum debet esse efficax per se. Ergo qui non vitat, cum potest, probabile periculum peccati, peccat contra præceptum prohibens illud peccatum. Quare ut ait *De Lugo*, in moralibus se exponere periculo peccandi, & peccare sunt idem. 4. Dei amicitiam, & animæ salutem contemnit, qui ejus perdendæ periculum probabile non vitat, cum potest, sed voluntariè subit. 5. Innoc. XI. damnauit has propos. 62. *Proxima occasio peccati non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est querere directe causam proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* & Alex. VII. damnauit istam: *Non est obligandus concubiniarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarij, vulgo*

regalo, dum deficiente illa nimis agrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur. 6. Ex S. Greg. Hom. 24. in Evang. Quæ ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.

Porrò ut quis teneatur vitare occasionem peccandi, non necesse est ut in ea frequenter peccaverit; sed sufficit ut verisimiliter in ea sit peccaturus; nam peccat qui se probabili seu verisimili periculo peccandi exponit. Unde S. Carolus. in Instruct. Confessor occasiones vitandas, dicit: *Esse ea facta, quæ etiam si per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is, qui confitetur, in eadem ipsa quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in iis remaneat.* Et Tolet. l. 3. c. 18. ait: *probabiles occasiones peccandi sunt omnino extirpanda.* Enimverò ut effectus malus censeatur indirectè & interpretativè voluntarius in causa, necesse non est ut ex ea frequenter sequatur; sed satis est, quòd cognoscatur vel cognosci possit & debeat secuturus verisimiliter, ut constat ex c. ult. de injur. ubi Greg. IX. docet imputari damnum ei, qui fecit aliquid, ex quo probabiliter illud sequi posse scire potuit ac debuit: *nec ignorantia, inquit, te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.*

Resp. II. Si Pœnitens promittit se quam primùm relicturum talem occasionem, ei differri debet absolutio extra periculum mortis, donec

donec eam deseruerit, si jam monitus non dimiserit, vel si diu in ea permanserit & peccauerit, vel si occasio illa urgens sit, & multum ad peccatum alliciat, nisi Confessor prudenter iudicet se posse fidem adhibere Pœnitenti; nam Pœnitentis infirmitas & instabilitas adjuvanda est absolutionis dilatione, quâ sæpè Pœnitentes magis moventur, quàm aliis motivis; & aliàs relinqueretur in periculo eam non deserendi. Ita S. Carolus in Instruct. Confessor. ibi: *Pœnitentem in aliqua ex his occasionibus, aut similibus, si urgens sit illa occasio, ut qui concubinam, v. g. aleret, non debet sine dubio Confessor absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit. Pro aliis verò occasionibus, quales sunt aleæ vocatio, aspectus minis pudici, colloquia, &c. non absolvatur, nisi eas dimittere Pœnitens polliceatur. Quòd si jam aliàs id pollicitus sit, nec emendatus fuerit, absolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit. Deinde sic monet Confessarium: Oportet eum severiorem esse rigidiorumque circa eas actiones & exercitia, quæ reipsâ in utilia sunt, dant tamen propensionem ad malum, & sæpè ac facillè pertrahunt ad diversa peccata. Hujusmodi sunt choreis interesse, cum blasphemis versari sæpiùs aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id genus alia, quæ consuetudinem afferunt peccandi mortaliter: nam absolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet Pœnitens, spondeatque ab iis abstinere diligenter. Si tamen Confessor pruden-*

ter iudicet se posse fidem adhibere Pœnitenti promittenti eorum fugam, semel iterumque poterit absolutionem indulgere, eâ tamen semper lege, ut si in iis diutius immoretur, eam postea differat, donec certis & evidentibus indiciis constet, illum ab his occasionibus esse segregatum.

Resp. III. Si Pœnitens versetur in occasione proxima, quam non potest omninò, aut saltem sine peccato dimittere, quamvis appareat contritus, ei ordinariè differenda est absolutio, donec sublatum sit periculum proximum seu probabile in ea peccandi, atque ita occasio ex proxima facta sit remota. Nam sine absolutionis dilatione Pœnitentes in tali occasione à relapsu efficaciter averti non solent; & alias exponerentur periculo amittendi brevi gratiam Sacramentalem. Interea autem præscribenda sunt media contra relapsum idonea, quæ tollant proximitatem occasionis seu periculi peccandi, vel detrahendo objecto vim proximam aliciendi ad peccatum, vel apponendo impedimentum causalitati ejus. Ut si famulus, v. g. qui non potest ab herò facultatem abeundi obtinere, peccaret sæpe cum ancilla; debet ei præscribi, ut quantum fieri potest nunquam solus cum illa versetur, colloquatur, nec in eam oculos figat, nulla ei amicitia signa det, ut se bonis cogitationibus armet, oret, &c.

Resp. IV. Si Pœnitens versetur in occasione proxima etiam per accidens, quæ deseri-

ne:

nequeat sine gravissimo damno temporali; ei ordinariè differenda est absolutio, præscriptis mediis contra relapsum aptis, donec emendatus appareat, & occasio illa desierit esse respectu illius periculum proximum peccandi, si remediis adhibitis putetur non peccaturus. Priùs itaque tentanda est emendatio absolutionis dilatione, quâ Pœnitentes efficaciter moveri solent ad præscripta remedia diligenter adhibenda. Ita S. Carol. in instruct. Confess. addens: *Si verò absolutionem differre non possit, quin Pœnitentem exponat gravi infamiae periculo; tum si contritum certis quibusdam notis videat, aut ita mente affectum, ut ad omnia remedia paratus sit, quæ ad illius emendationem necessaria judicaverit prudens Sacerdos; tunc aptiora præscribet & utiliora; puta ut solus cum sola nunquam conveniat, imponet & preces, & corporis macerationem aliquam, & imprimis frequentem Confessionis usum, similiaque exercitia, quæ si in se recipiat, tunc debet eum Confessarius absolvere.*

Quod si mediis ad emendationem adhibitis, adhuc peccet ut antea, tunc per negationem absolutionis cogendus erit Pœnitens ad deferendam illam occasionem cum quanto-cumque damno temporali. Ita S. Carol. ibid. Nam tunc ipse Pœnitens tenetur sub mortali eam dimittere, etiam cum bonorum, famæ, & statûs jactura, juxta illud Christi præceptum tunc urgens: *Si oculus tuus dexter scandalizat*

lizat te, erue eum, & projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam: & si dextera manu tua scandalizat te, abscide eam, & projice abs te, &c. Id est, res charissimæ & utilissimæ dimittendæ sunt ad vitandam occasionem proximam peccati. Et verò peccatorem tam fragilem, & remedia adversus lapsum præscripta sapientis frustra expertum, velle adhuc permanere in tali occasione, est moraliter illum velle peccare; qui enim vult aliquid cum peccato moraliter conjunctum, etsi solum respectivè ad se ipsum, censetur velle ipsum peccatum. Unde Conc. gener. Later. 2. can. 22. ait: *Falsa etiam sit Pœnitentia, cum Pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prevailet.* Igitur tunc dimitti debet officium, munus, ars, mercatura, &c. si perseveret esse occasio peccandi.

Q. 7. *An Confessor tenetur absolvere eum, quem prudenter judicat esse contritum, & recte dispositum?*

Resp. Tenetur, nisi aliundè sit justa causa differendi absolutionem. Nam nisi adsit aliunde talis causa, Pœnitens verè contritus & integrè Confessus habet jus ad absolutionem. Idque exigit ratio judicii justii reconciliativi, & æquitas, ac pactum implicitum inter Confessorem & Pœnitentem; debet enim judex
auditâ

auditâ causâ judicare, & absolvere Reum absolutione dignum, nisi adsit justa causa differendi deinde sine justa causa exponeretur Pœnitens periculo remanendi in statu peccati mortalis, cum incertum sit an elicuerit perfectam contritionem: & sic subiret periculum jacturæ operum meritoriorum.

Dixi, *nisi sit aliunde justa causa, &c.* Nam si Confessor ex speciali Pœnitentis infirmitate, & circumstantiis occasionum quas vitare nequit, vel aliundè prudenter timeat, ne brevi relabatur, vel ne non satisfaciat alicui obligationi urgenti, nisi dilatione absolutionis efficacius à relapsu avertatur, exciteturque ad citius satisfaciendum suis obligationibus, potest & debet differre absolutionem. Quippe Confessor ut Minister Sacramenti debet non solum validè illud administrare, sed etiam providere ut gratia per illud collata conserveatur, nec statim amittatur; & ut Medicus tenetur adhibere media ad sanitatem stabilem procurandam ac conservandam apta. Nec Pœnitens est tunc rationabiliter invitus, cum id cedat in ejus bonum, & absolutio ei statim non expediat. Ita *De Lugo disp. 14. sect. 10.* ubi docet veram & communem sententiam esse, quòd possit esse causa rationabilis aliquando differendi absolutionem absque consensu Pœnitentis, licèt ipse aliunde credatur probabiliter esse nunc dispositus; nam *licet, inquit, Pœnitens legitime dispositus, Confessione*
factâ,

factâ, habeat jus ad absolutionem: non tamen habet jus ad hoc, ut statim proferatur sententia; potest enim iudex arbitrari quomodo & quando debeat utilius proferri sententia... Ergo quando merito timet Pœnitentem nunc absolutum facile relapsurum statim in eadem crimina, nisi ipsa difficultate & dilatione absolutionis melius agnoscat gravitatem peccati & necessitatem emendationis; poterit differre absolutionem, ut Pœnitens admonitus non maneat in tanto periculo reincidentie, quantum alias subiret... Ratio à priori est, quia Confessarius est non solum iudex, sed etiam medicus. Unde sicut in Pœnitentia imponenda ita exercet officium iudicis pœnitentis, ut debeat simul exercere officium medici curantis: atque adeò procurare, quòd impositio Pœnitentiæ sit in utilitatem & medicinam Pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes: sicut in proferenda absolutione, licet principaliter exercet munus iudicis absolventis Pœnitentem dispositum, debet tamen simul procurare ut medicus in ipsa absolutione curationem Pœnitentis, eo videlicet modo ad solvendo, qui magis cedat in utilitatem & remedium aegroti: ad utrumque enim habet jus Confessarius, nec potest prohiberi à Pœnitente, ne in ipsa absolutione utrumque exercat. Et addit sententiæ huic communi ad stipulari experientiam multorum Pœnitentium, qui hoc remedio brevi tempore solent curari.

Non tamen diu differri debet absolutio contrito; nam hoc esset contra finem Sacramenti.

menti, quippe quod institutum est non solum ad remissionem peccatorum commissorum, sed etiam ad futurorum vitiationem per gratias actuales, quæ intuitu Sacramenti suscepti dantur in hunc finem.

Q. 8. Quomodo Confessor debet se gerere erga moribundos?

Resp. I. Si Moribundus usu rationis & sensuum præditus sit, debet Sacerdos curare, ut integrè, quantum potest moraliter, confiteatur, & verè conteratur; ut eliciat actus fidei, spei & charitatis perfectæ, qui tunc obligant, ut satisfaciatur suis omnibus obligationibus, præsertim justitiæ & charitatis erga proximum, &c. & ad hæc omnia excitare atque adjuvare. Item debet dare illi Pœnitentiam, quam tunc implere facillè possit, ut actus patientiæ, & indicere aliam peccatis proportionatam, quam implere teneatur si convaluerit, ut docet Rituale Romanum.

Resp. II. Quivis moribundus, qui absente Sacerdote absolutionem petiit, vel signa doloris, aut voluntatis confitendi dedit, & postea adveniente Sacerdote omni sensuum usu destituitur, debet absolvi. Constat 1. Ex praxi Ecclesiæ. 2. Ex Concilio Carthag. 4. can. 76. & Araus. 1. can. 12. & ex Rituali Romano auctoritate Pauli V. edito, & ab eo toti Ecclesiæ proposito tanquam continente. *Sinceros Ecclesiæ Catholice ritus, quod sic habet: si inter*

CON-

confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela egrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata Pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est. 3. Quia voluntas confitendi exterius significata, est Confessio seu accùlatio sui generica & sensibilis, quæ in extrema necessitate sufficit. Nam qui significat se velle confiteri, vel petit Confessarium, hoc ipso exterius confitetur se esse peccatorem, & velle absolvi, ideóque etiam præsumitur esse contritus. Signum autem doloris, quod in periculo mortis editur, censeri debet ad Sacramentalem absolutionem directum, cum in tali statu fideles optimum animæ suæ remedium exoptare soleant; ideóque etiam voluntatem confitendi implicite significat.

Sed pro praxi Sacerdos à tali moribundo conetur elicere aliquod peccatum in specie, & signum doloris. Quòd si id fieri nequit, curet ut in moribundi præsentia aliquis testetur eum dedisse signa doloris vel desiderii confitendi. Quòd si neque hoc fieri possit, tenetur illum absolvere, si ab aliquo ante adventum suum audierit eum dedisse signum doloris, aut petiisse Confessorem; nam dum non agitur de damno tertii, creditur uni testi. Nec obstant Concilia & Rituale Roman. utentia numero plurali, quia intelligi debent in sensu distribu-

tivo,

tivo, non collectivo: sic cum dicunt animam defuncti posse juvari aliorum fidelium suffragiis, sensus est distributivus, quòd singulorum suffragiis possit juvari.

Idem dic si testis hoc tantum scierit ex relatione alterius; nam notitia mediata notitia est, & sufficit ad alios effectus, in quibus major certitudo requiritur, v. g. in Baptismo. Item quamvis signa illa moribundi dubia sint, ut si visus sit tundere pectus, oculos ad cœlum tollere, aliquam imaginem devotè respicere, absolvendus est; nam ista censeari debent relata ad absolutionem Sacramentalem, cum quilibet in articulo mortis censeatur optimum animæ suæ remedium optare. Deinde in extrema necessitate proximi tenemur ei subvenire meliori modo quo fieri potest; & cum Sacramentum sit ad salutem hominum institutum, satius est illud exponere periculo nullitatis, quam hominem periculo æternæ damnationis; nec hoc est contra ejus reverentiam, sed secundum ejus finem, si prout potest, confertur in extremo periculo salutis.

Resp. III. Magna controversia est, an absolvi possit moribundus omni sensuum & rationis usu destitutus, qui nulla signa externa doloris, vel desiderii confitendi dedit coram aliquo. Plurimi docent eum non posse validè absolvi, nec proinde etiam licitè, quamvis constet ipsum christianè vixisse. Quia I. S. Leo. Concilia Carthag. & Araus. cit. & Rituale Roman.
dum

dum statuunt moribundum absolvendum esse, expresse addunt hanc conditionem, si aliqua signa Pœnitentiæ dederit: ergo eo ipso significant non esse absolvendum deficiente tali signo. 2. Nullum est Sacramentum Pœnitentiæ sine Confessione Sacramentali, cum hæc Confessio sit ejus pars essentialis. At in hac hypothese nulla est Confessio Sacramentalis: Ergo. *Probant. min.* Confessio Sacramentalis est sensibilis accusatio peccati admitti, ordinata ad absolutionem Sacerdotis; nam hoc Sacramentum est judicium sensibile, quod proinde includere debet accusationem externam ac sensibilem, quæ reddat sensibilem dolorem internum; & materia Sacramenti debet esse sensibilis, cum Sacramentum sit quoddam totum sensibile. At in hac hypothese deest accusatio sensibilis & ordinata ad absolutionem: neque enim vita prius christianè transacta, est moribundo hîc & nunc accusatio sui ad absolutionem ordinata post peccatum commissum. Requiritur autem ex parte pœnitentis post peccatum commissum aliqua voluntas sensibiliber manifestata, quâ se accuset, vel certè imploret officium Judicis: alioqui proferretur sententia sine ullo processu. Dico *post peccatum*, nam ridiculum esset, quòd quis hodie se vellet accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur vi hujus accusationis.

Alii verò non pauci, & tota Facultas Lovanien-

nienſis teſte Havermanno, contendunt talem moribundum abſolvi poſſe, idcòque debere ſub conditione, modo chriſtianè vixerit, vel poſt peccatum Pœnitentiæ agenda tempus habuerit: ſi enim in ipſo actu criminis, v. g. in ebrietate vel duello ſenſuum uſu privetur, facilè concedunt non eſſe abſolvendum, cum conſtet eſſe indiſpoſitum. Probant 1. ex S. Aug. l. 1. de adulter. conjug. c. 28. ubi ait; *Ego non ſolùm alios Catechumenos, verùm etiam ipſos, qui viventium conjugiiſ copulati retinent adulterina conſortia, cum ſalvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptiſmum; tamen ſi deſperati, & intra ſe Pœnitentes jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, Baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? ... Quæ autem Baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia. Sed priores Reſpondent S. Doctorem ſupponere moribundum petiſſe priùs Pœnitentiam, ſicut Catechumenos Baptiſmum, undè eum vocat Pœnitentem; & Catechumenos dediſſe aliquod doloris ſignum, v. g. nutu, percuffione pectoris, &c. Alioqui fruſtra dixiſſet: ſi intra ſe Pœnitentes jacuerunt; nam ſi nullum Pœnitentiæ ſignum præbuerint, undè intra ſe Pœnitentes*

tentes esse noscimus? 2. Probant ex Sacerdotali Romano Venetiis, anno 1560. excuso, ubi dicitur talem moribundum esse absolvendum, *si bene vivebat, & frequentabat Confessionem & Communionem.* Item ex Statutis Synodalibus Ecclesie Lemovicensis, & ex Memoriali Confessorum edito Bononiae jussu Archiepiscopi Bononiensis, qui postea factus summus Pontifex Gregor. XV. opinionem non mutavit, sed eam in suo quondam Archiepiscopatu in praxim redigi permisit. Probant 3. quia quoties est materia dubia vel probabiliter presumpta in moribundo sensibus destitute, hic potest absolvi, nam tunc nulla irrogatur irreverentia Sacramento ob necessitatem proximi. At in tali moribundo reperitur talis materia, nempe Contritio & Confessio generica ac confusa, probabiliter ex aliquo signo externo presumpta, vel dubia: nam vita christiane acta, est signum externum probabile, vel saltem dubium doloris & voluntatis confitendi de presenti, & ad absolutionem sufficienter directum in tali necessitate: cum enim fidelis quisque ideò christianè vivat, ut pie ac christianè moriatur, implicite saltem vitam suam christianam dirigit ad suscipienda in mortis articulo Sacramenta. Item vita christianè transacta est ratio presumendi istum moribundum reverè dedisse in hoc morbo aliquod signum externum doloris in ordine ad absolutionem, v. g. pectus turudisse, oculos

los in cœlum sustulisse, Deum orasse, &c. Imò etiamnum internam Contritionem ac voluntatem confitendi elicere, & conari manifestare omnibus quibus potest signis externis, omnibus videlicet motibus corporis sui, aut certè contrarium non constat. Unde inferunt tunc haberi signum externum Contritionis & voluntatis confitendi saltem probabiliter præsumptum aut dubium, ideòque sufficiens ad absolutionem conditionatam in tali necessitate.

Jam verò si talis potest absolvi, eum absolvere tenetur Sacerdos; nam quisque ex lege charitatis tenetur proximo in extremo periculo subvenire meliori modo quo potest, afferendo saltem opem dubiam, quæ melior est nullâ, si nequit certam vel probabilem afferre.

Circa hoc Rituale Tullense hæc ait: Donec Ecclesia de hac difficultate deciderit, poterunt Confessarii sequi in praxi id quod favorabilius est salutem ejusmodi moribundorum, & eos absolvere, si semper christianè vixerint.

Q. 9. Ad quid tenetur Confessor propter defectum in Sacramento admissum?

Resp. Si invalidè absolvit pœnitentem à Censuris vel peccatis reservatis, tenetur, saltem si commodè potest, illum monere, ut sibi quærat remedium ab alio; vel obtentâ à Superiore facultate illum absolvendi, pœnitentem præsentem post iteratam Contritionem absolvere. Si verò pœnitentem induxit in aliquem

errorem, ex quo sequitur violatio præcepti alicujus, dicendo non extare tale præceptum, tenetur monere pœnitentem; alioqui esset causa, cur is præceptum violaret; & quisque tenetur tollere causam mali, quam posuit etiam inculpatè. Item si ex omissione monitionis, & silentio Confessarii, moveatur Pœnitens ad credendum licitum id quod est illicitum, tenetur Confessor postea eum monere; quia quisque tenetur curare ne alii ex sua actione, vel etiam ex sua omissione scandalum accipiant, & ne moveantur ad violandum etiam materialiter præcepta. *De Lugo*, & quia reparari debet omisio periculosa rei ex officio debitæ.

Q. 10. Ad quid tenetur Confessor propter defectum circa restitutionem?

Resp. I. Si sine tua culpa de obligasti Pœnitentem à restitutione, ad quam tenebatur, vel obligasti ad quam non tenebatur, teneris ex justitia errorem dedocere. Nam quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum: alioqui cognito errore tenetur de damno; quippe proximus jus habet ne damnum à quoquam quovis modo patiat.

Resp. II. Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia considerandi dixisti Pœnitenti eum non teneri ad restitutionem ad quam reipsâ tenetur, teneris errorem dedocere. Quòd si non dedoces, vel si Pœnitens interea factus est impotens ad restituendum, qui

qui alioqui restituisset, teneris ipse restituere illi tertio; nam violasti jus, quod ille habebat ne impedires restitutionem ei debitam, & consilio tuo es causa efficacis ejus damni. Si vero Pœnitens possit adhuc restituere, sufficit quod eum moneas de ejus obligatione, nam tuâ monitione sufficienter tollis causam damni inferendi quam posueras; unde si Pœnitens non restituat ex malitia, id tibi imputari nequit, cum jam non sis causa damni.

Resp. III. Si ex ignorantia vel negligentia culpabili omisisti solum admonere pœnitentem de obligatione restituendi, teneris eum postea admonere. Sed juxta multos non teneris ipse restituere, si Pœnitens sit interea factus impotens ad restituendum, imo etiam si non moneas eum de restitutione facienda, saltem nisi ex officio habeas curam animarum. Quia Confessor præcisè ut Confessor non tenetur ex justitia impedire damnum ejus, cui debetur restitutio: ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, sed tantum contra bonum spirituale Pœnitentis; Confessor enim nullam justitiæ obligationem, nec officium habet in ordine ad creditorem, sed tantum in ordine ad pœnitentem; nec tenetur ex officio procurare bonum temporale aliorum, sed solum spirituale bonum Pœnitentis; nec est hujus caput politicum, sicut Prælati respectu suorum subditorum. Omittens autem aut tacens non tenetur de damno non impedito, nisi ei, ejus

damnum tenetur ex Justitia impedire. Itaque hac in re non est par ratio Confessarii, & Judicis profani; nam hic tenetur ex officio bonum aliorum spectante servare jus omnium tanquam persona publica constituta ad procurandum bonum temporale & jus aliorum. Confessor autem obligatur soli Pœnitenti in foro Pœnitentiæ: quia hoc forum ac judicium privatum est, & institutum in bonum Pœnitentis. Dixi, saltem nisi ex officio habeas curam animarum, ut sunt Episcopi & Parochi, quos teneri tunc ad restitutionem valde probabile esse censet Lessius: quia cum isti sint Superiores, ex officio tenentur regere subditos, & promodo suæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant: ac proinde tenentur curare, si commodè possint, ut restitutionem faciant. Ejusdem enim rationis est damnum inferre, & illatum nolle sarcire.

Resp. IV. Si pœnitentem culpabiliter, hoc est ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel gravi negligentia considerandi, obligasti ad restitutionem ad quam non tenebatur, teneris ex Justitia errorem retractare. Quòd si jam restituit, teneris damnum illud ipsi resarcire; nam illius fuisti causa efficax & injusta tuo falso consilio, *ex c. ult. de injur.* item teneris Pœnitenti de damno, si tuâ omissione culpabili fuisti causa cur ipse restitueret id, ad quod non tenebatur; nam tale damnum oritur ex omissione monitionis ei ex officio erga eum, ideòque ex justitia debitæ,

Q. II.

Q. II. *An Sacerdotes non habentes curam animarum tenentur audire Confessiones, si sint idonei & approbati?*

Resp. I. Tenentur ex charitate sub mortali etiam cum periculo vitæ audire Confessiones cujuslibet existentis in extrema necessitate salutis, qui scilicet salvari nequeat sine opera Confessoris: nam quisque tenetur ex charitate salutem æternam proximi præferre vitæ suæ corporali; tenetur enim vitæ suæ corporali præferre salutem propriam, ergo & salutem proximi, quem sicut se ipsum diligere tenetur.

Resp. II. Tenentur etiam ex charitate sub mortali audire Confessiones hominum in gravi necessitate spirituali existentium, ut in periculo mortis, si alius desit, & id possint saltem sine gravi damno & vitæ periculo: nam charitas obligat ad succurrendum proximo in gravi necessitate, cum id fieri potest saltem sine gravi incommodo & damno. Imò Suarez hic disp. 32. sect. 1. docet quemlibet Sacerdotem teneri ex charitate audire Confessiones, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis, si vitæ spiritualis seu salus proximi periclitetur, & non sit alius qui subveniat: nam licet in rigore possit proximus per Contritionem perfectam salvari, tamen magno morali periculo exponitur, quando sine alio medio relinquatur.

Certè, secundum communem, in necessitate gravi spirituali communitatis, ut si peste grassante obicarentiam Sacerdotis morerentur

communiter absque Confessione, Sacerdos privatus tenetur sub mortali, etiam cum periculo vitæ audire Confessiones, si alii non subvenient: quia gravis necessitas spiritualis communitatis, licet non extrema, est per se gravissimum malum, cui meritò succurri debet cum jactura vitæ privati. Et quia vix fieri potest ut talis necessitas non sit conjuncta cum necessitate extrema aliquorum. De Lugo.

Resp. III. Extra necessitatem gravem tenentur, quando facile possunt, & utilitas proximi magna id exigit. ex I. Pet. 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrans, sicut boni dispensatores multiformis gratie Dei: nam sine culpa non possunt ex negligentia inutilem reddere potestatem absolvendi in utilitatem proximi acceptam.*

CAPUT IV.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum illud est Religiosa obligatio servandi in quovis casu secretum circa ea, quæ ex Confessione Sacramentali cognita sunt.

Q. I. Quæ, & quanta est obligatio Sigilli Confessionis?

Resp. I. Secretum Confessionis obligat. I. Jure naturali, quo generatim tenemur non revelare secretum commissum, & promissum, etiam implicitè, præsertim cum damno aut infamia alterius. In Confessione autem inter-

cedit